



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

4. An censeantur prohibiti libri unam tantum hæresim per transennam continentes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41565

gravamen contineat, censenda est lex odiosa, quod hîc fit, quia satis magnum gravamen est quòd nemo, etiamsi sit vir doctus, libros hæreticos possit legere.

Ad 3. Resp. Quod talia scripta prohibita sint quæ per se librum aut magnam partem libri conficiunt: non verò quando non possunt haberi pro vero libro. Si dicas quod pars libri impressi divisa à libro maneat prohibita, licet non conficiat librum. Resp. Quod maneat semper pars libri; cum igitur liber sit prohibitus, etiam prohibita erit notabilis pars ipsius, licet sit ab ipso libro divisa. alia verò scripta neque in ratione totius, neque in ratione partis libri nomine possunt appellari. Addendum tamē, quod licet non ratione bullæ, ratione tamen naturali aliquando prohibita sunt brevia scripta v. g. concio hæretica propter periculum.

ARTICULUS IV.

An censeantur prohibiti libri unam tantum hæresim per transennam continentes.

R Esp. Affirmativè. Illi enim libri sunt hæreticorum, hæresim continentes; qui expressis verbis in bullâ sub pœna Excommunicationis

nicationis prohibentur; nec refert quod reliqua materia, & quæ per se intenditur, sit profana: non enim requiritur quod ex professo de hæresi tractent, (sicut hoc dicitur de religione) sed satis est quod habeant Auctorem hæreticum, & hæresim contineant. Imo hoc aliquando est periculosius, si reliqua materia sit docta & utilis, aut saltem placens lectoribus; sic enim etiam facilius placent reliqua quæ simul inferuntur, & sic mordet sicut coluber in occulto; & quantò latentius, tantò periculosius venenum imbibitur. Sic etiam tenent Suarez de cens. disp. 21. sect. 2. n. 10. Sanchez lib 2. c. 10. n. 34. Layman lib 2. cap 15. tract. 1. n. 4. & alii. Contra Sayrum.

ARTICULUS V.

Quinam Libri censeantur ex professo tractare de Religione.

Quia Bulla Coenæ exprimit etiam Libros, ex professo scriptos de Religione, necesse est explicare quid ad hoc requiratur.

Tractare de Religione est agere de doctrinâ Sacrà, exponendo S. Scripturam, aut Scholasticam Theologiam aut Moralem, hoc est agere de rebus & mysteriis fidei, de cultu Dei

&